QUÆSTIONES ANNO 1867

COLLATIONIBUS THEOLOGICIS DISCUTIENDÆ

in Archidiœcesi Quebecensi

MENSE JANUARIO.

Sempronius parochus catechismum explicans, ut suos auditores attentiores reddat, dicit illos teneri jure divino omnes rationes suæ fidei a fundamento explorare ut sit eorum *rationabile obsequium.* Promittit se illis expositurum ex ordine et breviter omnia motiva credibilitatis et eos hortatur ut attente et prompto ac alacri animo ea percipiant ut sic tandem in sua fide plenissime confirmentur et possint elicere actum fidei qui Deo placere possit.

Caïus vicarius hanc exhortationem audiens timet ne parochus erraverit et quemdam theologum consulit:

1° *In quo consistit discrimen inter examen protestanticum et examen quod catholicis licet, salva semper fide?*

2° *Quid de exhortatione Sempronii?*

3° *Quid in specie de textu S. Pauli* (Rom. XII, 1): *Rationabile obsequium vestrum?*

Quæritur quænam censendæ sint *rationabiles causæ* ut quis possit uti privilegio *impertiendi extra Missam benedictionem nuptialem solemnem iis sponsis, quibus jure communi licet intra Missam impertiri,* concesso per indultum 5 februari 1865, prout legitur in actis Concilii Quebecensis III, pag. 75?

MENSE MAIO.

Petrus confitetur se per decem annos omisisse solutionem cujusdam census vitalitii Paulo debiti, item medicum nunc mortuum jam a decem annis, per plures annos adhibuisse quin ei unquam aliquid solverit, et tandem cuidam servo

neglexisse solvere mercedem debitam jam a pluribus annis. Confessario exprimit contritionem de peccato commisso, attamen restituere recusat quia articulus 2267 Codicis Civilis Canadensis declarat talia debita esse *omnino extincta*. *Quid in casu?*

Caïo mortuo sepulturam sacram denegat, Sempronius parochus, quia jam a pluribus annis omisit paschalem communionem recipere. Caïi filius probat patrem suum communicasse singulis annis tempore debito 1° in ecclesia cathedrali; 2° aliquando in capella publica seminarií è manibus vicarii generalis; 3° in capella privata domus episcopalis, è manibus episcopi; 4° tandem è manibus ipsius Sempronii, sed in aliena parochia.

Quæritur *an Caïus obligationi suæ satisfecerit.*

MENSE JULIO.

Sempronius parochus hujus archidiœcesis Caïum vicinum parochum coram judice laïco citat propter quædam debita quæ Caïus solvere recusat; 1° propter decimas prædii quod Caïus habet in parochia Sempronii; 2° propter censum hypothecarium sibi a patre relictum super eodem prædio; 3° in reparationem quarumdam injuriarum.

Robertus hæc audiens monet Sempronium cujus est confessarius, ut a dictis actionibus civilibus desistat ne incidat in censuras contra violantes immunitatem ecclesiasticam.

Sempronius non vult acquiescere et quærit:

1° *Quid est immunitas ecclesiastica?*
2° *Quænam pœnæ latæ fuerint contra violantes eam?*
3° *An illas pœnas incurrerit?*

Sempronius parochus in administratione sacramentorum numquam legit exhortationes in appendice ritualis insertas, sed vel nullam facit exhortationem, vel paucis verbis alloquitur adstantes prout sibi bonum videtur. Quæritur *an bene sese gerat Sempronius?*

MENSE OCTOBRI.

Petrus ex vindicta Paulum vulneravit vulnere lethali, sed sanabili. Mox Petrus pœnitens medicum peritissimum Sempronium arcessit et illi mandat ut sese consultorem adjungat Caïo medico indocto et ebrioso quem Paulus jam arcessivit ad curandum vulnus. Sempronius autem, ex odio erga Paulum, Caïum negligentem et ebrium corrigere neglexit, et Paulus mortuus est.

Titius sacerdos audit successive confessionem Petri, Sempronii et Caïi, et nunc anxius quærit *ad quid quisque eorum teneatur?*

Sempronius parochus in sua sacristia nullam invenit tabellam missarum fundatarum et scit prædecessorem suum putasse nullas esse tales missas in ecclesia ; ipse autem discooperit plures fuisse fundatas. *Quid agendum?*